

qui pueros erudiret, tunc dici posset, quod ille Magister omnes pueros doceret, non quia omnes docerentur, sed quia nullus, nisi per eum doceretur.

Posterior expositio est, ut fiat distributio pro generibus singulorum, & non pro singulis generum. Et tunc Apostolica illius sententia hic est sensus, Deus ex omni hominum statu, nobilium scilicet, & ignobilium, pauperum, divitum, virorum & mulierum, atque adeo de singulis hominum differentiis, vult aliquos salvos fieri. Alioqui, inquit Augustinus, fateri cogemur aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse, id quod pugnat cum scriptura dicente, Omnia quaecumque voluit fecit. Unde noluisse facere credendum est, quodcumque non fecit.

Tercia expositio est Damasceni, loco supracitato, quo loco Dei voluntatem distinguit in antecedentem, & consequentem, ac voluntate quidem antecedente, inquit, velle Deum omnes homines salvos fieri, non itidem consequente. Ac voluntatem antecedentem communiter accipiunt Theologi, pro ea voluntate, qua Deus vult hominem eam beatitudinem ad quam divinitus & conditus, & ordinatus est, adipisci, quae illi ad eam consequendam auxilia naturalia, & gratuita sufficienter subministrat. Consequentem vero eam appellant voluntatem, qua Deus secundum operum nostrorum qualitatem, & exigentiam vult nobis mercedem retribuere, praemium scilicet, aut poenam, prout iustitiae ratio postulat.

Hoc ut melius intelligatur, notanda sunt duo, unum ex parte hominis, alterum ex parte auxiliorum Dei. Ex parte hominis considerantur duo, nempe natura ipsa hominis, & persona. Quod igitur ad naturam attinet, Deus vult omnes homines salvos fieri, utpote quia omnibus hominibus dedit naturam capacem beatitudinis, & ad beatitudinem ordinabilem. Quod vero ad personam pertinet, non vult omnes homines salvos fieri. Nam cum actiones sint personae, multi autem deficient a fine ultimo actionibus suis pravis, hinc fit ut quod ad personam attinet,

non velit Deus omnes homines salvos fieri: sed quosdam velit pro exigentia suorum operum damnare. Et quia prius est considerare naturam ordinabilem in finem, quam actiones persona, quibus aut finem ipsum adipiscitur, aut ab ipso excidit, fit ut prior illa voluntas dicatur antecedens, posterior vero consequens.

Rursus ex parte auxiliorum, notandum est, quaedam esse communia, quae dantur omnibus, ut liberum arbitrium, praecepta, consilia, quibus omnes possunt dirigi, & adjuvati in iis quae ad salutem pertinent. Sunt alia nihilominus specialia, ut gratia, virtutes, perseverantia in bono, quae dantur quibusdam specialiter, & singulariter. Et quia commune ordine naturae antecedit id quod speciale est, ideo voluntas divina dans auxilia communia dicitur antecedens, eadem vero prout dat specialia, dicitur consequens. Et hoc modo Deus vult omnes homines salvos fieri voluntate antecedente, non itidem consequente.

Hanc expositionem voluntatis antecedentis, & consequentis communiter afferunt Theologi, Divus Thomas, 1. 5. dist. 46. ar. 1. & 1. p. quest. 19. ar. 6. ad primum. De ver. quest. 23. ar. 2. Egidius, 1. dist. 47. quest. 1. Scotus, 1. 5. d. 46. Durand. 1. 5. d. 46. q. 1. Quorum nos auctoritatem in primo huius questionis articulo secuti sumus, cum notabilia praeposuimus.

Ceterum haec expositio longissime abest a sensu, & sententia Damasceni ut recte annotavit Gregorius, 1. d. 47. q. unica, & satis patet legenti, & accuratius expendenti verba Damasceni.

Voluntas igitur antecedens apud Damascenum est voluntas eorum, quorum nulla causa praecedit in nobis meritoria, sed ipsorum causa est gratuita Dei voluntas, cuiusmodi sunt omnia bona quae habemus, quae ipsa Deus vult nobis, voluntate antecedente, quia scilicet nihil in nobis praecedit, quod sit causa volitionis eorum. Voluntas vero consequens est voluntas eorum, quorum causa meritoria est in nobis, ut

Damasceni.

Blasius.

Egidius, 1. 5. d. 46. ar. 1. q. 1. Durandus, 1. 5. d. 46. q. 1.

Dist. 46. voluntatis in antecedente, & consequente aliter exponitur ad mensuram Damasceni.



punitio, punire siquidem nos vult Deus, quia peccamus: ita quod peccatum sit causa meritoria pœne quam nobis Deus infligit. Ita ex doctrina Damasceni colligitur hæc definitio. Ea quæ sunt in nobis, vel sunt bona, vel mala. Si bona, illa vult Deus nobis antecedenter, & ex seipso, tanquam ex prima causa, & radice omnium bonorum nostrorum liberali, & gratuita. Si mala, vel sunt mala pœne, vel mala culpæ. Si mala pœnæ, vult ea nobis consequenter non ex seipso, sed ex causa nostra. Non enim sine causa, & demerito nostro punit, quemadmodum sine causa, & merito nostro bona sæpe largitur. Sin vero sunt mala culpæ, ea nobis neutro modo vult, quoniam illorum nobis non est causa, vt qui neque velit vt peccemus, neque efficiat vt peccemus, sed id totum concedat, & permittat libero arbitrio. Hæc ad mentem Damasceni.

Saluat igitur Deus homines antecedenter, punit vero, & damnat consequenter, saluat antecedenter, quoniam salus hominum est ex Deo, id est, gratuita Dei voluntate constat, punit vero consequenter, quoniam causa damnationis & punitio, est ex demerito nostro.

Caterum cum oēs non saluentur, quomodo ad mentem Damasceni vera est sententia Diui Pauli, dicentis Deum velle omnes homines saluos fieri? Gregorius loco supra citato, dicit: Deum velle voluntate antecedente omnes homines saluari secundum distributionem accomodam.

Ita quod volūtas salutis impertiendæ sit antecedens, illa vero particula omnes homines, sit intelligenda, aut secundum distributionem accomodam, aut pro generibus singulorum.

Dici potest ad mentem Damasceni, Deū velle absolute omnem hominem saluum fieri, ex pensa scilicet natura, & ordinabilitate ad finem vltimū. Non enim, inquit Damascenus, nos finxit, vt puniret, sed vt bonitatis suæ nos participes efficieret, tanquā bonus, ex pensa tamen operū qualitate, quosdam damnat, & quosdā vult esse saluos tanquā iustus.

Id quod pertinet ad voluntatē consequentē, cuius causa meritoria est in nobis: nō tanquā causa voluntatis, sed tanquā ratio voliti.

Ad secundū respondetur, præter voluntatē Dei eā, quæ est voluntas beneplaciti, & consequens, nihil fieri, bene tamen præter voluntatē eam Dei, quæ est voluntas signi, & antecedens, iam aut hominū peccata, & transgressiones præceptorū, aduersantur voluntati Dei, nō prout est voluntas beneplaciti, & consequens, sed prout est voluntas signi, & antecedens. Faciūt, n. mali contra cōsilia, & præcepta, quæ duo diuinæ voluntatis signa respondent voluntati dei antecedenti, quæ non semper impletur.

Ad tertium respondetur, voluisse Deū voluntate antecedente cōgregare filios Israel, proponendo eis præcepta, & cōsilia, & auxilia eis multa, quibus auocari a malis, & induci ad bona possent, subministrādo, iam aut voluntatem antecedentē, non oportet semper expleri. Expleta est tamen in eis voluntas consequens, quæ secundum exigentiā meritorū alicui tribuit mercedē, aut præmij, aut pœnæ. Et ita impij dum contra voluntatem dei antecedentem faciunt, voluntati eius consequenti, & beneplaciti obsequuntur. Et dum non faciunt voluntatē dei, fit in eis volūtas dei, vt ait Aug. in Enchr. & citatur in litera.

Ad quartum respondetur, posita dei voluntate efficaci, non tolli rerum contingentiam, sed eorum quæ sunt volita a deo, quædam euenire necessario, ea scilicet quæ ex causis necessarijs proficiscuntur, quædam vero contingenter, ea scilicet quæ ex causis contingentibus proueniunt, quæ tamen necessitas, siue contingentiæ rerum per causas, reducit ad efficaciam diuinæ voluntatis, tanquam ad causam primam, & radicē omnis necessitatis, & contingentia in rebus. Vult enim deus quædam contingenter euenire, & quædam necessario, ad completum vniuersi, & ideo effectis contingentibus accommodauit causas contingentes & defectibiles, & impedibiles, ex quibus effecta contingenter, & impedibiliter euenirent, effectis vero necessarijs aptauit causas necessarias.

Ad 2.

ad 3.

Ad: 4.  
Efficacia diuinæ voluntatis nō tollit rerū contingentiam

Causa prima, & radix cōtingentiæ est efficacia diuinæ voluntatis, & defectibilitas, siue contingentiæ causæ mediæ

Dicitur a postoli exponitur ad mentem Damasceni.



& indefectibiles, ex quibus effecta necessaria, & indefectibiliter provenirent. Pertinet autem ad efficaciam causae, non solum ut proveniat effectus, verum etiam ut eo modo proveniat, quem ipsa causa intendit.

Coroll. 1.

Exploditur opinio causis proximis necessitatem & contingentiam effectuum attributa

Hinc iam intelliguntur non nulla, illud est primum minus bene quosdam causas necessitatis, & contingentis causis proximis attribuisse, ita scilicet ut ea effecta sint necessaria quae proveniunt ex causis necessarijs, illa contingentia, quae ex causis contingentibus producuntur, tum quia effectus causae primae est contingens propter defectibilitatem causae mediae, ex eo quia impeditur efficacia causae primae per defectum causae mediae, ut patet in virtute solis impedita a fructu producendo propter defectum platae, sed divina voluntas est causa prima non impedibilis per defectum cuiuscumque causae secundae, haec. n. duo sunt incompatibilia, nempe quod Deus velit aliquid, & illud non sit, igitur divina voluntas non habet effectum contingentem propter causam primam.

Tum quia alioqui contingentia rerum esset praeter intentionem & voluntatem primi agentis, utpote quia proveniret necessitate materiae, cum si scribendi peritus inepto utens calamo, malos characteres pingeret. Tunc malitia characterum non agenti, sed defectui instrumenti attribueretur: Nam si idoneo usus fuisset instrumento, bonas literas efformasset.

Ceterum, si volens, & intendens malos characteres pingere, calamum ineptum assumeret, iam ille defectus non tam defectui calami, quam voluntati scriptoris tribueretur, eligenti ineptum instrumentum ad defectuosum effectum praestandum. Interest autem plurimum inter utrumque eventum. Nam in priori eventum, virtus scriptoris non solum modificata est inepto instrumento, verum etiam impedita. In posteriore vero eventum, virtus scriptoris non impedita est malo instrumento, sed modificata potius, utpote quia ad modificationem virtutis suae, quo defectuosum effectum praestaret, ineptum instrumentum & elegerit, & adhibuerit.

Adhuc etiam modum cum Deus glo-

riosus omni causarum genere uti decreverit, in causis vero reperiantur quaedam impedibiles, & defectibiles, & ad utrumlibet, hinc provenit contingentia, modificata & non impedita efficacia divinae voluntatis per causam mediam contingentem.

Coroll. 1.

Scotus rerum contingentiam attribuit contingentiae divinae voluntatis 2. 5. d. 2. q. 2. Itē. 1. 5. d. 3. q. 5. 1. Itē d. 39. q. 1. ar. 2.

Secundo hinc colligitur, minus bene Scotum causam contingentiae attribuisse, contingentiae, siue libertati divinae voluntatis, non efficaciae. Existimat enim Scotus quod primaradix contingentiae in rebus sit libertas divinae voluntatis, ita scilicet quod si deus non libere ageret, sed necessitate naturae, nulla esset in rebus contingentia.

Ad id vero existimandum his est potissimum argumentis adductus. Primum sic argumentatur. Causa quae non movet nisi mota, si necessario movetur necessario movet, atqui omnis causa secunda non movet nisi mota a prima, igitur si necessario movetur a prima, necessario & ipsa movet, & per consequens si prima causa non contingenter causat, nihil in universo fit contingenter. Est igitur causa contingentiae posita in libera & contingente causalitate primae causae.

Praeterea, prima causa prius naturaliter respicit effectum, quam quacunque causa alia, ergo si necessario causat, effectus in illo priori habet necessariam habitudinem ad illam, ergo nullus effectus fit contingenter. Consequentia probatur, quia impossibile est ut idem effectus pro eodem instanti habeat habitudinem contingentis, & necessarii non solum ad eandem causam, sed neque ad diversas causas.

Praeterea, Quidquid Deus producit cum causa secunda, potest se solo, & immediate producere, & ille effectus esset tunc contingens, habet igitur effectus contingentiam a causa prima, & non solum a causa proxima. Consecutio nota est. Minor ostenditur. Ille effectus productus immediate a causa prima, haberet eandem entitatem, quam habet productus cum causa media, igitur est contingens, sicut erat productus cum causa proxima.

Postremo, Deus produxit multa immediate



diate, & nunc etiam producit, sicut creavit mundum, & nunc creat animas: & tamē omnia contingēt, igitur contingentia in rebus non est ex conditione causę medię, sed ex conditione diuinę voluntatis libere, & contingenter causantis.

Hinc effectum voluit Scotus, Aristotelē, & ceteros Philosophos duo contradictoria admisisse, quatenus asseruerunt aliqua fieri contingenter, & Deum agere necessitate naturę. Posito nanque quod Deus agat naturę necessitate, omnino tollitur e medio cōtingentia. Hęc Scotus.

Nos dicimus hanc Scoti opinionem cū in se esse falsam, tum in suis fundamentis. Est quidē in se falsa. Primū quia ex ea sequitur contingētiam rerum, quę in vniuerso reperitur esse pręter Dei intentionem. Id quod sic ostenditur. Quidquid consequitur modum volendi, & non volitionem ipsam, est pręter intentionem volentis, at si contingētia oritur ex conditione diuinę voluntatis, quę est libertas, & contingentia consequitur modum volendi, & non volitionem ipsam, igitur est pręter intentionem volentis. Consequentia nota cum Minore, ostēditur Maior. Quidquid consequitur modum volendi, & non volitionem ipsam non est electum, utpote quia consequatur modū eligēdi, & nō electionē ipsam, ergo nō est effectus agentis a proposito, & per cōsequens est pręter intentionem agentis. Hęc posterior consequentia notata est: probatur prior. Nam effectum agentis a proposito oportet esse electū, ut patet ex 9. Metaph. ubi potentia rationalis a prohabere determinari dicitur ad agendum.

Secundo: Esto quod Deus ad extra ageret necessitate naturę, ad huc esset contingentia in rebus, igitur radix contingentię, nō est contingentia diuinę voluntatis, sed ipsius efficaciam. Sequela probatur. Posita necessaria causalitate causę primę adhuc in vniuerso essent causę defectibiles, essent agentia libera ceu homines, igitur adhuc esset in rebus contingentia.

Falsa est etiam opinio Scoti in suis fun-

damentis. Quocirca ad primum Scoticę opinionis fundamentum respondetur aliquid mouere motum ab alio duobus modis contingere, vno modo vt denotetur causa præcisa motionis, ita quod non moueat præcise, nisi quia mouetur ab alio, quo modo baculus mouet lapidem. Non enim mouet præcise, nisi quia mouetur a manu, ex se enim nihil mouet. Altero modo vt denotetur concausa, ex se enim & ex propria virtute habet quod moueat, cæterū altero intrinsece cooperante proprię motioni. Hoc modo causę secundę mouent motę a prima. Non enim ex eo præcise mouēt, quia mouētur a prima, sed etiā ex virtute propria, cooperante nihilominus causa prima, & coniungente virtutem secundę suo effectui, ipsamque conferante.

In priori sensu vera est Maior, in posteriori vero est falsa. Nam stat actionem, & virtutem causę prioris modificari in causa posteriori. Nā cooperatio in vnoquoque est secundum cuiusque naturam, tum quia hoc exigat sua dispositio vniuersi, tum quia vnū quodque recipitur in alio per modum recipientis. At hoc posteriori modo causa secundę mouet motę a causa prima. Nō enim præcise mouet quia mouetur a prima, sed etiam propria virtute mouet, cooperante intrinsece eius motioni causa prima, idq; secundū cuiusque naturam, sic enim disponit oīa suauiter.

Ex quo fit, vt libere, liberis, contingenter, contingētibus, & necessario, necessarijs deus cooperetur, determinata, & modificata virtute diuina in secunda causa, tanquā ex susceptiui conditione. Etenim vnūquodque recipitur in alio per modum recipientis. Ex quo fit subinde, quod et si Deus ageret necessitate naturę, adhuc esset contingentia in rebus. Nam causę liberę, & contingentes accommodatę ad suā naturā vterētur illa cooperatiōe.

Fit tertio, Aristotelem, & philosophos nō dixisse pugnantię. Ponentes Deū agere necessitate naturę, & nihilominus contingētiam esse in rebus asserētes. Virtus n. diuina recepta in causis secundis, inde limitationem acceperet.

Rejicitur  
Scoti opi  
nio.

Si de  
ageret ne  
cessitate  
naturę,  
adhuc cō  
tingentia  
esset in re  
bus.



Ad secundum Scoti argumentum respō-  
detur bifariam, vno modo interpretādo pro-  
positionem illam, causa prima, prius natura  
respicit effectum, quam causa secunda. Ha-  
bet enim, duplicē sensum. Prior sensus est:  
quod in aliquo instanti naturā priori cau-  
sa prima respiciat effectum, in quo eodem  
non respicit causa secūda, ita quod sint duo  
instantia naturā, in quorum vno prima cau-  
sa respicit effectum, in altero vero secunda.

Posterior sensus est, vt causa prima, prius,  
hoc est, independenter, & intimius respiciat  
effectum. Attingit enim causa prima effe-  
ctum causā secundā cum independenter,  
tam intimius quam causa secunda. Ac sub  
hoc sensu propositio est vera, & admitten-  
da, sub priori vero est falsa, & neganda, sub  
quo sensu videtur Scotus accepisse illā pro-  
positionem, vt patet ex consequente illato.  
Ac proinde negatur illud.

Altero modo respondetur, negando priorē  
consequentiam. Nam virtus causā primā  
attingit effectum causā secundā modifica-  
ta, iuxta modum causā secundā, & ideo in  
nullo priori effectus habet necessariam ha-  
bitudinem ad causam primam, sed solam  
cōtingentem.

Ad tertium respondetur, effectum habe-  
re radicaliter, & fundamentaliter contingē-  
tiam a causa prima, quā ad ea quā sunt ex-  
tra se se habet mere libere & cōtingenter. Et  
hęc contingētia cōmunis est omnibus crea-  
tis, proxime vero habet contingētiam a cau-  
sa secunda, quā tamen est intenta, & ordina-  
ta a voluntate diuina, alioqui contingē-  
tia esset prater Dei intentionem, vt iam dixi-  
mus.

Hinc collige dupliciter in rebus reperiri  
contingentiam, vnam radicalem & funda-  
mentalem, & hanc habent res in ordine ad  
Deum, qui vult libere, alteram specialē, quā  
conuenit rebus in ordine ad causas proxi-  
mas, Deo tamen sic ordinante, & disponen-  
te. Durand. 23. d. 47. q. 1.

Hinc iam patet responsio ad quartum ar-  
gumentum. Nos enim non negamus quin  
ea quā immediate a Deo producuntur, con-

tingenter producantur, quā contingētia or-  
tum habet ex libera habitudine diuinę volū-  
tatis ad ea quā sunt extra, sed dicimus quod  
cum Deus producit contingētia mediāti-  
bus causis secundis, illam contingētiā non  
esse referendam in causas medias solum, sed  
in efficaciam diuinę voluntatis, accommo-  
dātis causas necessarias ijs, quā vult fieri ne-  
cessario, causas vero contingentes ijs, quā  
vult fieri contingenter.

Tandem diuina voluntas imponit rebus  
volitis necessitatem, non quidem absolutā,  
Nam cum hoc quod res est volita a Deo, stat  
quod res sit in se ipsa contingens, sed ex sup-  
positione, siue conditionatam. Hęc enim  
duo sunt impossibilia, nēpe quod Deus  
aliquid velit, & illud non sit, propter immu-  
tabilitatem, & efficacitatem diuinę volun-  
tatis.

Obijcit Ferrariensis. 1. contra Gent. cap. 5.  
igitur volitum a Deo est immutabile, & ine-  
uitabile, & per consequens fatuum est cona-  
ri ad oppositum eius quod Deus non vult, ac  
proinde omni humanā sollicitudini, consilio  
& industrię locus eripitur. Respondet voli-  
tum a Deo posse secundum se spectari, aut  
prout subest diuinę voluntati, priori modo  
non est ineuitabile, Nam cum secundum se  
sit contingens, vtpote quia ex ordinatione  
diuina pendeat ex causa fallibili, & defecti-  
bili, potest secundum se impediri. Posteriori  
vero modo est ineuitabile propter efficaciam  
diuinę voluntatis. Quantumcunque enim  
pendeat ex causa fallibili, & impedibili, sup-  
posito quod sit volitum a Deo, defacto nun-  
quam impediatur. Et cum dicitur, vanum  
est igitur conari ad oppositum eius, in sensu  
composito verum est. Vanum est enim co-  
nari ad hoc coniunctum, nempe quod sit vo-  
litum a Deo, & non eueniat. In sensu tamen  
diuiso, non est verum. Nam cum illud secū-  
dum se possit non euenire, si quis conatur ad  
oppositum eius, non laborat ad impossibile.  
Ad posteriorem vero consequentiam respō-  
detur, negando illam. Nam etsi cum neces-  
sitate absoluta non possit stare contingen-  
tia, & libertas, & humana sollicitudo, ac con-

diuina vo-  
luntas im-  
ponit reb-  
necessita-  
tem cōdi-  
tionatā.

Obiectio.

Dilutio.

Volitū a  
Deo in se  
su diuisio  
nis est eui-  
tabile, in  
seu vero  
cōpositio-  
nis, est ine-  
uitabile.

Cōtingen-  
tia nō stat  
cū neces-  
sitate abso-  
luta, bene  
tamen cū  
conditiona-  
ta.

sulta-

Duplex ra-  
dix cōtin-  
gentiæ.



sultatio, stare tamen potest cum necessitate exsuppositione.

De ver. q. 23 ar. 3. ad 3.

Postremo notandum de sententia Divi Thomae, quod licet ista sint impossibilia, hoc est volitum a Deo, & nō erit, hac tamen sunt cōpossibilia, hoc est volitū a Deo, & pōt non esse. Nam cum divina voluntate stat potentia deficiendi effectum, nō autem defectus ipse, siue non esse ipsius effectus.

Obiectio vel. 6. nec.

Contra hoc obijcio vehementissime. Si cut se habet actus ad actum, sic se habet posse ad posse, sed impossibile est volitū a Deo nō actu impleri, sequitur enim ad illud quod volūtas beneplaciti nō impletur, quod est falsum, igitur impossibile est volitum a Deo posse non impleri, sequitur enim ad illud, quod voluntas beneplaciti possit non impleri, quod theologi non concedunt.

solucio.

Diluitur argumentum negatione Maioris, sumendo posse ex parte voliti. Non enim potentia deficiendi in voluto infert potentiam deficiendi in voluntate. Nam volitū secundum se, cum pendeat ex causa impediibili potest non euenire, idque ei non repugnat, at pugnat voluntatem beneplaciti non solum non impleri, sed etiam posse non impleri.

Quocirca licet hac consecutio sit firma, volitum a Deo non impletur, igitur voluntas Dei nō impletur, hac tamen est infirma, volitum a Deo potest non impleri, igitur voluntas Dei potest nō impleri, in priori enim non est repugnantia ex parte rei, in posteriore vero est ex parte rei repugnantia, propter immutabilitatem & efficaciam, quam divina voluntas suapte natura sibi vendicat.

DE OBIECTO

DIVINAE VOLUNTATIS.

QVAESTIO. I.

Vtrum Deus velit alia a se?



Ro quaestionis explanatione, subijciuntur tres conclusiones.

Prima conclusio, Deus non solum vult se, sed et alia a se. Prior conclusionis pars sic ostenditur.

1. concl. Deus non solum vult se, sed et alia a se.

Qualibet potētia tendit in suum obiectum, sed obiectum voluntatis est bonum, & bonū diuinum est maxime bonum, igitur divina voluntas non solum vult se, verum etiā maxime vult se. Pars posterior sic ostenditur. Quidquid ad rationem voluntatis pertinet, illud divinae voluntati conuenit, Nam quidquid est de ratione superioris, illud etiam est de ratione inferioris, atqui ad rationem voluntatis pertinet, vt bonum quod quis habet cum alijs communicet, quantum possibile est, igitur illud conuenit divinae voluntati, vt bonum suum participatione quadam cum alijs, quoad rei cuiusque natura patitur, communicet, igitur Deus non solum vult se esse, verum etiam & alia. Minor ostenditur. Quemadmodum se habet in naturali inclinatione, sic se habet in rationali quae est voluntas, atqui naturalis inclinatio non solum est ad bonum proprium, vt scilicet acquirat illud, cum non habet, & conquiescat in illo, cum iam habet, verum etiam ad bonum alterius, vt scilicet diffundat bonum proprium in alia, vnde omne agens quatenus est actu, & perfectum facit sibi simile, ergo & hoc ipsum ad rationem voluntatis pertinet, vt bonum quod quis habet cum alijs communit.

Hoc ipsum etiam patet ex operatione dei circa creaturas. Agens. n. liberum quidquid agit per voluntatem agit, atqui Deus non solum res produxit ad esse, verum etiam conseruat in esse, igitur produxit, & conseruat res per voluntatem, non solum igitur vult se, sed etiam alia.

Secunda conclusio, Deus primum & principaliter vult se, deinde & secundo loco, alia.

2. concl. Deus primum vult se, deinde alia a se.

Probatio. Quemadmodū se habent Deus & alia a Deo, ad diuinum intellectum, sic se habent Deus, & alia a Deo ad diuinam vo-

luntatem.



luntatem, sed Deus primo intelligit se, dein de alia a se, igitur Deus primum vult se, dein de alia a se. Maior patet ex proportionali similitudine inter intellectum, & voluntatem, Minor iam patuit ex supra-dictis.

Præterea, voluntas prius vult finem, dein de vero ea quæ sunt ad finem, non enim vult ea, nisi volendo finem, atqui Deus vult se tanquam finem, alia vero a se tanquam ea quæ sunt ad finem, quatenus decet diuinam bonitatem, alia a se ipsam participare, igitur Deus primum & principaliter vult se, deinde & secundo loco, alia a se.

Tertia conclusio. Deus volendo se, & suam bonitatem, vult alia a se. Probatio. Deus cognoscendo se, cognoscit alia a se, igitur volendo se, & suam bonitatem, vult alia a se. Antecedens patet ex supradictis, consequentia etiam patet ex proportionali similitudine inter intellectum, & voluntatem.

Præterea, volitio eorum quæ sunt ad finem, est ex volitione finis, sed Deus vult se tanquam finem, alia vero a se, tanquam ea quæ sunt ad finem, igitur volendo se, & suam bonitatem, vult alia a se, volendo eis perfectionem essendi, & alias perfectiones super additas ipsi esse.

REFUTATIO CON-

clusionum.

**P**rima conclusio his argumētis refutatur. Licet intelligendo vilia non efficiamur viles, imo vero vilia ex eo quia intelliguntur, nobilitatem consequuntur. At volentes vilia, viles efficiamur. Huius discriminis hæc est ratio, quia in intelligendo est motus rerū ad animam, in volendo vero est motus animi ad res, & ideo intelligentes vilia non vilescimus, sed ipsa vilia potius nobilitantur, utpote quia intellectui conformantur, at volentes vilia vilescimus, utpote quia vilibus conformemur, atqui respectu Dei omnia sunt vilia, Deus autem in nullo potest vilescere, non est igitur quod Deus velit a se.

Præterea, Quidquid voluntas vult aut secundū vult vt finem, aut propter finem: sed Deus

non vult alia a se vt finem, quippe quia ipsa eius bonitas sola sit finis suæ voluntatis. Neque itidem vult alia a se propter finem. Namque habito fine, nihil appetitur propter finem, ceu habita sanitate, iam non appetitur & requiritur potatio, cumque Deus perfecte, & complete habeat suam bonitatem, sequitur vt alia a se neque velit, neque requirat.

Præterea, Deus totum bonum suum in seipso habet, igitur non est quod eius voluntas ea velit, & requirat, quæ sunt extra ipsum. Vnde Psalm. 15. dicitur: Dixi domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum no eges.

Postremo contra primam cōclusionem, sic arguitur. Si Deus vellet aliud a se, eius voluntas moueretur ab alio, siquidem volitum mouet volentē, de Anima, at hoc fieri nō potest, nihil enim aliud a Deo potest mouere diuinam voluntatem, igitur nihil aliud a Deo potest esse a Deo volitum.

Tertia porro conclusio, hoc vnico argumento refellitur. Si diuina bonitas esset ratio volendi alia, ita quod volitio aliorum ortū haberet ex volitione sui ipsius, illud esset cōsequēs vt Deus alia a se vellet necessario, & ita Deus non posset non facere, quæ facit, quod est falsum.

Sequela ex eo patet, quia Deus non potest non velle suam bonitatem, igitur non potest non velle illud, cuius volitio sequitur ad volitionem suæ bonitatis.

DILVTIO ARGVMEN-

torum.

**A**D primum respōdetur, volentes vilia vilescere, cum in rebus vilibus finem constituunt, sic enim in vilibus conquiescunt, & ipsis conformantur. Secus si velint vilia tanquam ea quæ sunt ad finem, sic enim in vilibus non conquiescunt, sed in eo ad quem tanquam finem vilia ordinantur. Cum igitur Deus velit alia a se, non tanquam finem, sed tanquam ea, quæ sunt ad finem, propterea potest velle alia a se, cum interim non vilescat.

Tertium

Quartum

Quintum

2. concl. Deus volēdo se vult alia a se.

1. arg.

Ad. t. Volentes vilia, & illa tanquam fini adherentes vilescunt.

Ad



Ad secundum respondetur, Deum velle alia a se, non quidem vt finem, sed propter finem, nempe propter suam bonitatem, non quidem acquirendam, sed communicandam, vt lenim res, vt det eis esse, & alias perfectiones adiunctas ipsi actui essendi.

Ad 2.  
Deo vult alia a se propter bonitatem suam, non quidem acquirendam, sed cum illis communicandam.

Ad probationem vero dicitur, non esse simile id quod adducitur pro simili. Nam positio appetitur propter sanitatem acquirendam, & ideo habita sanitate, non est quod positio requiratur. Porro Deus vult alia a se propter suam bonitatem, non quidem acquirendam, aut augendam, sed eisdem rebus creatis communicandam, & ideo habita sua bonitate creaturam producit, vt eam illi communicet.

Ad 3.

Ad tertium, negatur consecutio. Nam Deus non vult ea quae sunt extra ipsum, quasi ex eis inuenire sua perfectio, aut in illis consistat, sic enim valeret consecutio, sed vt suam bonitatem cum illis communicet.

Ad 4.

Ad quartum, Cum solus finis moueat voluntatem, volitum vt finis mouet voluntatem, sic autem nihil mouet diuinam voluntatem nisi sua bonitas. Cum igitur Deus alia a se non velit nisi propter finem, qui est sua bonitas, sequitur vt nihil aliud moueat ipsius voluntatem, nisi sua bonitas. Bonitas porro diuina volita mouet diuinam voluntatem ad volendum alia a se, communicando eis esse. Ita alia a deo mouentur potius a voluntate diuina, tanquam effecta ab ipsa, quam ipsa moueant diuinam voluntatem.

Ad 5.

Ad quintum difficilius est responsio. Diluitur tamen negatione sequela. Ad probationem vero, cum dicitur, Deus non potest non velle suam bonitatem, distinctio adhibetur. Deus potest velle se duobus modis, vno modo prout est Deus, infinitam habens bonitatem, & per consequens infinitam amabilitatem: altero modo vt participabilis ab alijs, & multiplicabilis in alijs secundum similitudinem. Priori modo, Deus non potest non velle & amare se, idque amore infinito intensioe, si quidem est obiectum infinite bonum, & per consequens infinite amabile. Posteriori vero modo non necessario a bonitate se, sed secundum condecenciam, quate

Deus potest velle se duobus modis.

nus condecet suam bonitatem ab alijs participari, & cum alijs communicari. Cum igitur res sint volitae a Deo volitione suae bonitatis, non priori modo, sed hoc posteriori, sequitur vt cum Deus hoc posteriori modo non necessario velit se, vt res quoque non sint necessario ab ipso volitae. Caietan. i. p. q. 19. ar. 3. aliter respondet, sed eius responsio in hanc nostram fere recidit.

Cor. 1.

Hinc collige primum, duplicem esse habitudinem diuinæ voluntatis ad ipsam Dei essentiam, vnam necessariam, alteram liberam. Ad essentiam secundum se, & prout est bonum infinitum, infinitae amabilitatis, habitudo voluntatis diuinæ est necessaria. Ad eandem prout diffunditur & participatur, siue prout est causa rerum, habitudo est libera, & secundum condecenciam solum.

habitudinem diuinæ voluntatis ad suam essentiam duplex, vna necessaria altera libera.

Collige secundo, Ex volitione aliorum nihil perfectionis accrescere ipsi Deo, vt pote quia sine alijs, & sit, & perfecta sit bonitas Dei, sed vice versa, ex volitione diuinæ bonitatis perfectio accedit creaturis, quatenus volendo suam bonitatem, creaturas vult esse, & alias subinde perfectiones vult eis.

2. Coroll.

Nihil accrescit diuinæ bonitati ex volitione aliorum.

Collige tertio solutionem illius argumenti quo Caietanus. i. p. q. 19. ar. 3. vult probare, Deum velle necessario alia a se. Argumentum autem est huiusmodi. Deus vult alia a se, volendo suam perfectionem, sed oportet diuinam essentiam esse perfectissime volitam a Deo: sequitur ergo vt alia ab ipso Deo sint necessario volita a Deo. Quidquid dicat Caietanus, huius argumenti iam patet dilutio ex doctrina tradita in responsione ad quintum argumentum. Dantus Maiorem, & distinguimus minorem. Nam diuina perfectio potest spectari duobus modis, vno modo secundum se, & quatenus est infinitum bonum, & infinitae amabilitatis, altero modo prout diffunditur, & comunicatur cum alijs. Priori modo habitudo diuinæ voluntatis ad suam essentiam est necessaria, posteriori vero modo non item, sed libera, & secundum condecenciam solum.

Coroll. 2.

Obijcitur adhuc vehementissime ex doctrina D. Thomae. i. contra Gentes. cap. 76.

Obiectio vehemensissima.

Deus



Deus vult se ut finem, atque virtus finis est ut non solum ipse secundum se appetatur, verum etiam ut alia per ipsum appetantur, ergo Deus non solum vult se necessario, verum etiam alia a se. Respondet Ferrariensis eodem loco, in commentario adhibita distinctione. Nam finis potest considerari duobus modis, vno modo secundum actum signatum, & quoad actum primum, altero modo quoad actum exercitum, hoc est, prout exercet suam causalitatem. Priori igitur modo vult Deus se ut finem necessario, non itidem posteriori modo, sed libere, & secundum quandam condecientiam. Porro ad minorem dicitur. Virtutem finis in eo consistere, ut per ipsum alia possint appeti, non vero ut actu appetantur, quoniam admodum virtus agentis in eo consistit, ut per ipsum alia possint produci, non ut actu producantur.

Supposito tamen quod Deus velit se ut finem posteriori modo, nempe ut exercentem causalitatem finis, sequitur quod Deus velit alia a se necessario. Ceterum quia illa suppositio non est simpliciter, & absolute necessaria, non enim Deus necessario exercet finis causalitatem, potuit enim ab aeterno velle nihil producere, & ita non exercere causalitatem finis, ideo non vult alia a se necessario, sed libere, & secundum quandam condecientiam.

## QVÆSTIO. 2.

*Vtrum velle alia a se importet divinam perfectionem?*



Parte affirmativa sic arguitur. Quidquid pertinet ad rationem voluntatis, pertinet ad perfectionem ipsius voluntatis, sed ad rationem voluntatis pertinet ut bonum quod quis habet cum alijs communicet, ut probatum est superiore. q. ar. 1. igitur illud est de perfectione voluntatis, sed quidquid perfectionis cernitur in

inferiori ponendum est proportionaliter in superiori, igitur multo magis hoc pertinet ad voluntatem divinam, ut suam bonitatem cum alijs secundum similitudinem communit, utpote ex qua tanquam ex causa effectiva, & exemplari omnis perfectio deriuatur.

Præterea inclinatio in bonum alterius est perfectio, antecedens ex eo patet, quia agens naturale quatenus actu & perfectum facit sibi simile, ergo illa attribuenda est voluntati, quæ est appetitus intellectivus, & multo magis divinæ voluntati.

A parte vero negativa sic arguitur. Si res nulla creata esset, Deus esset æque perfectus, ac modo est, igitur velle alia a se nullam addit Deo perfectionem.

Præterea, si velle alia a se esset perfectio, Deus ab aeternitate caruisset aliqua perfectione, utpote quia in tempore, & non ab aeternitate voluit alia a se, & ita ab aeternitate divina essentia non fuisset summe perfecta. Hæc quæstio tractatur a Caietano. 1. p. q. 19. ar. 2. & a Ferrariensi primo contra Gentes, cap. 79.

Caietanus igitur posita distinctione quæstionem diluit duabus conclusionibus.

Determinatio Caietani.

Distinctio est huiusmodi, velle alia a se accipitur duobus modis, vno modo secundum potentiam, ut scilicet velle alia idem significet quod esse volitium aliorum, altero modo secundum actum.

Subijcitur ergo prior conclusio. Velle alia a se priori modo, hoc est esse volitium aliorum, proculdubio est perfectio in Deo, quæ admodum est perfectio naturæ, sic aliorum effectivum.

Posterior conclusio. Velle alia a se actu, est perfectio divinæ voluntatis, voluntaria tamen & libera. Priorem conclusionis partem sic suadet. Ad perfectionem voluntatis in communi pertinet amor amicitiae, quod bona alijs volumus, in cuius signum charitas, quæ non quærit quæ sua sunt, voluntati infunditur, gratia autem non mutat subiectum, sed perficit illud per modum ipsius, igitur velle alia a se est perfectio divinæ voluntatis. Consecutio probatur, quia quod

velle alia a se est perfectio apud Caietanus

con-



continet superiori, conuenit etiam inferiori. Posterior vero conclusionis pars sic ostenditur. Inclinatio in bonum aliorum est perfectio naturae per modum naturae, igitur inclinari in bonum aliorum est perfectio voluntatis per modum voluntatis, at modus voluntatis, est esse voluntarium, & liberum, igitur inclinari in bonum aliorum est perfectio voluntatis libera, utpote voluntatis naturae conformis.

Hinc iam perspicitur, & intelligi potest ad argumenta pro parte negativa, responsio.

Ad primum respondetur, nulla creatura existente Deum esse eque perfectum, ac modo est, quoad perfectiones intrinsecas, & necessarias, secus quoad perfectiones extrinsecas, & voluntarias, quae Deo conueniunt per modum cuiusdam extrinsecae extensionis. Et sic nihil est incommodi aliquid perfectionis diuinæ essentiae ex creaturis accedere, per modum scilicet cuiusdam extrinsecae extensionis.

Ad secundum respondetur, nihil esse incommodi Deum ab aeternitate aliqua perfectione voluntaria & libera caruisse: quae tamen postea ei accreuit, voluntarie se se cum creaturis communicando.

Hec Caietanus. Cui ego illud obijcio. Perfectionem esse voluntariam & liberam, aut tollit rationem perfectionis, aut secus. Si tollit, quemadmodum esse pictum tollit rationem hominis, non est quod dicatur, velle alia a se esse perfectionem, quemadmodum enim homo pictus non est homo, ita perfectio voluntaria non est perfectio. Si non tollit, sed in perfectione voluntaria saluatur ratio perfectionis, minus attente dicitur, eam posse abesse a Deo, cuius est summa, & infinita perfectio.

Quocirca Ferrariensis. contra Gent. ca. 75. omnino negat, velle alia a se, quia huiusmodi, in Deo importare perfectionem. Nam velle alia a se, qua huiusmodi, importat actum diuinæ voluntatis terminatum ad obiectum extrinsecum, sed diuina operatio non accipit perfectionem ab obiecto extrinseco, igitur velle alia a se, qua huiusmodi, non impor-

tat perfectionem in Deo. Ego in hanc sententiam descendo.

Hæc igitur quaestiones huius mihi videtur aptissima explicatio.

Velle alia a se potest considerari duobus modis, vno modo quoad id quod dicit intrinsece, est autem illud ipse actus diuinæ voluntatis, & hæcenus velle alia a se dicit perfectionem. Nam actus diuinæ voluntatis est idem essentiae diuinæ, quæ est summe & infinite perfecta. Alio modo quoad id quod connotat, connotat autem habitudinem, siue respectum ad obiecta volita. Et hæcenus velle alia a se non dicit perfectionem, neque imperfectionem, siquidem ratio vt ratio, neque perfectionem declarat, neque imperfectionem.

Ex quo fit vt ex volitione aliorum nihil perfectionis diuinæ essentiae accretat. Quæ enim Deus nihil aliud a se vellet, nihil minus esset perfectus, atque illud volens. Nam ipse actus volendi quantum ad omnem perfectionem suam remaneret, etiam si ad extrinsecum obiectum non terminaretur.

Superest vt argumenta diluamus ea, quibus ostendebatur, velle alia a se in Deo importare perfectionem.

Ad primum igitur pro parte affirmatiua respondetur, ex illa ratione hoc solum concludo, quod quemadmodum ex eo, quod res naturales sunt perfectæ, sequitur inclinatio naturalis ad communicationem sui boni, multo magis qui deus perfectissimus est, & exemplar a quo omnis perfectio derivatur, ad eius perfectionem sequitur inclinatio voluntaria ad communicationem propriae bonitatis. Ex hoc autem non conficitur quod volitio Dei ea, quæ alia a se vult, sit perfectio quatenus vult alia a se.

Ad secundum hæc iam patet responsio. Inclinatio enim in bonum alterius non est perfectio, sed consequens perfectionem, quia enim agens naturaliter perfectum est, communicat suam perfectionem, generando simili simile. Hinc habes in Deo velle alia a se, non esse perfectionem, sed quiddam consequens ipsius perfectionem.

Velle alia a se intrinsecè dicit perfectionem, de connotato vero neque perfectio ne dicit, neque imperfectionem.

Ex volitione aliorum nihil perfectionis diuinæ essentiae accretat.

Velle alia a se non est perfectio in Deo, sed inclinatio voluntaria consequens ipsius perfectionem.

Inclinatio in bonum alterius non est perfectio, sed consequens perfectionem.

Ad

concordat

ad argumta

ad secundum

concordat

Velle alia a se apud Ferrariensem non est perfectio in

mi. Caieta

alia pfe pud uū



Ad argumentum porro Caietani respon-  
detur, amorem amicitie, quo bona alijs vo-  
lumus, consequi inclinationem voluntatis  
in bonum alterius, quae non est perfectio, sed  
quiddam potius consequens perfectionem.

QVÆSTIO. 3.

Vtrum Deus velit malum?



Ypposita distinctione de  
triplici malo, culpe scili-  
cet pœnæ, & naturæ, ad  
quæstionem respondetur  
nonnullis cõclusionibus.

Prima conclusio. Malum

non est appetibile, neque appetitum naturali,  
neque animali, neque rationali. Probatio.  
Ratio appetibilis est ratio boni, omnia enim  
bonum appetitur. Ethic. cap. primo, at ma-  
lum opponitur bono, igitur malum non ha-  
bet rationem appetibilis, & per cõsequens nul-  
lo appetitu appetitur.

Secunda conclusio. Malum per accidens  
hoc est, ratione boni coniuncti, siue cõsequen-  
tis cadit sub voluntatem. Probatio.

Quemadmodum se res habet ad hoc ut  
sit bonum, eodem modo se habet ad hoc ut  
sit voluta, sed malum secundum se non est  
bonum, sed ratione boni consequentis, &  
quo malum ordinatur, igitur malum secun-  
dum se non est volitum, sed per accidens, hoc  
est ratione boni coniuncti, & consequentis.

Præterea, implicat contradictionem ma-  
lum esse per se volitum, ergo malum si est  
volitum, per accidens est volitum. Conse-  
cutio firma est, antecedens, ostenditur in huc  
modum. Malum esse per se volitum, est ma-  
lum esse volitum sub ratione mali, at malum  
esse volitum sub ratione mali implicat con-  
tradictionem, siquidem omne volitum est  
volitum sub ratione boni, quæ est communis  
& formalis ratio obiecti voluntatis, ergo ma-  
lum esse per se volitum implicat cõtradio-  
nem.

Hinc illa dicitur Dionisij sententia, 4. cap.

de diuinis nominibus profecta est, Nullus  
respicens malum operatur, id quod tamen  
fieri posset, si malum posset esse per se volitum.  
nam ad velle operatio consequitur.

Tertia conclusio. Malum pœnæ, & na-  
turæ est a Deo volitum per accidens. Proba-  
tio. Eodem modo se habet aliquid ut sit vo-  
litum, quomodo se habet ad hoc quod sit bo-  
num, sed malum pœnæ, vel naturæ habet ra-  
tionem boni per accidens, per accidens igitur  
est volitum. Minor probatur, illud malum  
ex quo sequitur maius bonum quam sit illud  
bonum, quod priuatur per tale malum, ha-  
bet rationem boni per accidens, sed illud bo-  
num quod sequitur ex malo pœnæ, & ex ma-  
lo naturæ, est maius quam illud bonum, quod  
priuat illud malum, igitur malum pœnæ, &  
malum naturæ habet rationem mali per ac-  
cidens. Minor huius posterioris syllogismi  
probatur. Ad corruptionem elementorum  
sequitur generatio mistorum, & multarum  
specierum productio, & ad corruptionem mi-  
storum pro nutrimento hominum, & iumentorum  
sequitur permanetia viventium, maius  
autem bonum est quod consequitur ex ho-  
rum corruptione, quam sit illud bonum na-  
tura, quod per huiusmodi corruptionem pri-  
uatur. Similiter per malum pœnæ culpæ  
puniuntur, & ordinantur in bonum iustitiæ,  
at bonum iustitiæ communis, quod resultat  
ex malo pœnæ, quo culpa puniuntur, multo  
maius bonum est quam bonum naturæ in per-  
sona singulari, quod per pœnam priuatur, &  
ita patet Minor, sequitur ergo conclusio.

Quarta conclusio. Malum culpæ a Deo ne-  
que per se, neque per accidens est volitum.  
Probatio. Hoc modo se habet vnūquodque ad  
esse volitum, quomodo se habet ad esse bonum,  
sed malum culpæ neque per se, neque per ac-  
cidens est bonum, igitur, igitur neque per se,  
neque per accidens est volitum. Maior cum  
priori parte Minoris patet, nempe quod ma-  
lum culpæ non sit per se bonum.

Posterior vero pars Minoris ostenditur.  
Illud malum est per accidens bonum ex quo  
resultat bonum, quod secundum mixtam ra-  
tionem

1. concl.  
Malum non  
est per se  
appetibile

2. concl.  
Malum est  
appetibile  
per ac-  
cidens.

3. concl.  
D. Tho. 1.  
1. q. 19. ar.  
D. ur. 1. c.  
1. 47. q. 2

4. concl.  
D. Tho. 1.  
1. q. 19. ar.  
D. ur. 1. c.  
1. 47. q. 2

5. concl.  
D. Tho. 1.  
1. q. 19. ar.  
D. ur. 1. c.  
1. 47. q. 2



tionem iudicatur maius quam illud, quod priuat tale malum, quodque est per illud re compensabile, sed illud bonum quod sequitur ex malo culpa, non est secundum recta rationis iudicium maius bonum, quam illud quod priuat malum culpa, neque per illud compensabile, igitur malum culpa non potest habere rationem boni per accidens. Maior patet ex August. in Enchirid. cap. 10. & uocitatis a Magistro in litera. Minor probatur, bonum quod resultat ex malo culpa, auctore Augustino in lib. de Correctione & gratia, cap. 9. est hominis delinquentis eruditio & humilitas: sic enim ait Aug. 11. qui secundum propositum vocati sunt sancti, usque adeo Deus omnia cooperatur in bonum, ut si qui horum desinant, & exorbitant, etiam hoc ipsum faciat eis proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores, ut Petrus, sed hoc humilitatis, & eruditionis bonum non est maius bono gratiae & bono rationis, quod priuat malum culpa, & per consequens non est per illud compensabile, igitur bonum quod resultat ex malo culpa non est maius quam illud quod priuat malum culpa: & per consequens non potest habere rationem boni per accidens.

Quinta conclusio. Malum culpa neque volente Deo fit, neque nolente, sic autem ipso permittente. Conclusio haec patet ex resolutione literae Magistri conclusione. 2. & 3.

REFUTATIO CON-  
clusionum.

Quarta conclusio his argumentis refutatur.

Quicumque non impedit malum, quod potest impedire, videtur significare quod malum illud illi placeat, & velit illud unde d. 8. cap. Error, sic dicitur, Negligere quippe, cum possis perturbare peruersos, nihil est aliud, quam fauere. Atqui Deus potest impedire, & amouere mala culpa, & non impedit, neque amouet, videtur igitur quod ei placeant mala culpa, quodque per se velit illa.

Secundo. Deus vult omne bonum, at qui mala fieri bonum est, Deus igitur vult mala fieri. Minori fidem facit auctoritas August. in Enchirid. cap. 96. sic inquit. Quauis ea quae mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona, tamen ut non solum bona, sed etiam sint & mala, bonum est. Nam nisi esse hoc bonum, ut essent & mala, nullo modo esse finirentur ab omnipotenti bono, cui procul dubio quam facile est quod vult facere, tam facile est, quod non vult esse non finire. Idem etiam Augustinus eodem libro, cap. 10. & ait. In hac rerum vniuersitate malum bene ordinatum, & loco suo positum eminentius commendati bona, ut magis placeant, & laudabiliora existant, igitur, &c.

Tertio. Deus per accidens vult malum poena, ut probatum est conclusione. 3. igitur & per accidens saltem vult malum culpa. Consequentia probatur. Deus vult non de bonum, ergo vult & illud bonum quod resultat ex malo culpa, quod ipsum se tenet vel ex parte facientis, cum scilicet faciens malum culpa, ex perpetrato malo humilior, cautior, & firmiter euadit, vel ex parte aliorum, cum scilicet ex peccato alterius diuinitus, aut humanitus punico, pacificus, & quietus reip. status existit, hoc autem est velle malum per accidens, ergo Deus vult malum culpa per accidens.

Contra quintam conclusionem arguitur. Impossibile est duo contradictoria esse simul vera, ergo malum culpa fit aut volente Deo, aut nolente, siue non volente.

DILUTIO ARGU-  
mentorum.

Ad primum respondetur veram esse Maiorem illam propositionem in eo, qui non habet vniuersalem prouidentiam, sed particularem sub alio, quique non potest ex malis peruersorum hominum maiora bona elicere, neque habet auctoritatis plenitudinem. Hic non impediens mala cum possit, & teneatur, hoc ipso significat quod ei placeant mala. Huic etiam accommodatur textus canonis.



nis. Iam autem in Deo oppositae conditiones reperiuntur. Est siquidem universalis promissor, & potest ex peccatis hominum perverforum bona elicere, quae bona ex malis resultantia ei placeant, non ipsa mala. Unde inquit August. in Enchirid. cap. 11. Deus omnipotens, cui rerum est summa potestas, cum summe bonus sit, nullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis, nisi vsq; adeo esset omnipotens, & bonus, ut bene faceret etiam de malo. Melius enim iudicavit Deus de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere. blabet etiam Deus auctoritatis plenitudinem, & ideo non impediendo malum possit, non significat quod ei placeat mala.

2. concl.  
Deus non  
vult mala  
culpe fieri

Ad secundum. Notandum quibusdam visum esse, ut refert Magister in littera, Deum non velle malum, velle tamen malum esse, ac fieri. Nam malum non est bonum, mala tamen esse, aut fieri, bonum est: Deus autem omnis boni author est: Porro malum esse, & fieri esse bonum, ostendunt auctoritate Augustini citata in argumento. Hanc autem sententiam non recipit Magister. Nam quae admodum malum non est bonum, ita neque malum fieri ab aliquo est bonum. Alioquin si bonum esset malum ab aliquo fieri, huius Deus author esset, qui est author omnis boni. Ita homo Deo authore faceret malum, eoque authore fieret deterior, id quod non cadit in sapientem, authore Augustino in lib. 8; q. 3. nedum in Deum, qui omni sapiente homine sapientior est. Cum autem dicit Augustinus, bonum esse mala fieri, id accipiendum est per accidens, quatenus scilicet ex malis, quae fiunt, bona proveniunt, Deo eliciente bona ex malis, neque permittente mala fieri, nisi de eis bonum aliquid faceret. Iam autem nihil iudicatur secundum id quod convenit ei per accidens, sed secundum id quod convenit ei per se. Deus igitur neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, neque vult fieri, sed vult permittere mala fieri, id quod bonum est, modo supra exposito. Durand. 2. d. 47. q. 2. diluit argumentum negando maiorem, nempe quod mala esse,

& fieri sit bonum. Ad Aug. vero respondet, dictum Augustini esse intelligendum de malo poenae, aut naturae, idque per accidens, non per se, non autem de malo culpa, quod ipsum, neque per se, neque per accidens est bonum, & ideo nullo modo faciendum, & volendum.

Notandum malum fieri non esse bonum, neque ratione termini, neque ratione causa, neque ratione sui. Non ratione termini, quia in motu includitur via, & natura qua acquiritur, malum autem facere non est proficere in aliquod bonum, sed deficere a bono, unde non est via, sed deflexio de via. Neque malo acquiritur natura, sed corrumpitur potius. Neque ratione causa malum fieri est bonum, non quidem exemplaris, quia malum non fit ad similitudinem alicuius boni, neque efficientis, quia malum non habet causam efficientem, sed deficientem, neque finalis, siquidem malum ut sic est deviatio, & deflexio a fine. Postremo malum fieri ratione sui non est bonum, tum quia non est quid intentum, nemo enim aspiciens ad malum operatur, tum quia non est quid ordinatum, facere enim malum, non est secundum ordinem operari, sed praeter ordinem, tum postremo, quia non est natura aliqua, utpote quia neque sitens, neque sit in entibus. Nullo ergo modo malum fieri est bonum, malum inquam culpa. Egidius. 1. 5. d. 46. ar. 2. q. 1.

Malum culpa fieri nullo modo est bonum.

Deus vult  
litate an  
teceden  
non vult  
mala culpa  
fieri

Ad tertium negatur consecutio. Nam etsi ex malo culpa resultet aliquod bonum, illud tamen bonum non est tantum bonum, quantum est illud, quod privatur per culpam, neque aequale, aut magis appetibile. Nunquam autem aliquod malum appetitur per accidens, nisi bonum quod sequitur malum, sit maius, & magis appetibile, quam illud bonum, quod privatur per malum. Unde malum culpa, quod privatur ordinem ad bonum divinum, Deus nullo modo vult. Vult tamen malum poenae, aut malum naturae, volendo aliquod bonum, cui coniungitur tale malum, sic volendo iustitiam, vult poenam, & volendo ordinem naturae, vult

Deus non  
lo modo  
vult malum  
culpa.

quodam



quedam naturaliter corrūpi, iustitia autem, & ordo naturae bona sunt maiora, & appetibilia illis bonis, quae priuantur per illa mala. &c.

Deus volūrate antecedente non vult mala culpa fieri.

Ad quartam respondetur, Deum non velle mala fieri. Caterū illa voluntas Dei quae non vult mala fieri, nō est volūtas cōsequēs, sed antecedens, quae non semper impletur, Neque tamen voluntate consequente vult mala fieri, sed vult permittere mala fieri. D. Thom. 1. 2. d. 4. 6. ar. 4.

# DISTINCTIO XLVIII. DE CONFORMITATE VOLUNTATIS HUMANAE AD DIVINAM VOLUNTATEM.

Resolutio distinctionis quadagesime octavae.

**D**istinctione quadagesima octava agitur de conformitate humanae voluntatis ad diuinam. Estque huius distinctionis haec prima conclusio. Conformitas humanae voluntatis ad diuinam non in eo consistit, ut idem homo velit, quod Deus vult. Nam bona voluntate potest homo aliud velle, quā Deus vult, veluti pius filius bona voluntate patrem vult viuere, quē Deus bona voluntate vult mori. Et rursus mala voluntate potest homo velle id quod Deus vult bona voluntate, veluti si malus filius mala voluntate velit patrem mori, quem Deus bona voluntate vult mori.

Secunda conclusio. Conformitas humanae voluntatis ad diuinam consistit in eo, ut homo suam voluntatem ad eum finem referat, quem Deus volendo hoc, vel illud intendit. Sic enim humana voluntas diuina conformatur in volito formali, licet discrepet in volito materiali.

Tertia conclusio. Bona Dei voluntas mala hominum voluntate interdū impletur. Sic passio Christi quam Deus bona voluntate, nempe propter salutem generis humani praordinauit, et vult, mala et iniqua Iudeorum voluntate, nempe ex odio, et inuidia, expleta est. Vtrisque idem volitum materiale propositum est, non tamen idem volitum formale. Non enim eodem sine, et eadem causa passionem et mortem Christi Deus, et Iudei uoluerunt. Et quāuis Deus uoluit passionem Christi, culpam tamen Iudeorum noluit.

Contra Deus uoluit ut Christus pateretur a Iudeis, ergo uoluit illorum actionem malam, et per consequens illorum peccatum. Respondetur distinguendo antecedens. Nam si sic intelligatur, Deus uoluit ut Christus sustineret passionem illatam a Iudeis, uerum est antecedens. Sin uero sic intelligatur. Deus uoluit ut Iudei occiderent Christum, falsum est antecedens. Non enim Deus uoluit actionem malam Iudeorum, sed uoluit passionem bonam Christi, quae eius voluntas bona per malas Iudeorum voluntates expleta est.

Hinc collige uiris pijs debere placere et displicere passionem Christi, placere quidem intuitu humanae redemptionis, displicere



cere uero intuitu afflictionis, & cruciatio-  
nis. De eodem ergo debemus letari, &  
tristari, alio tamen, & alio respectu.

Quarta conclusio. Sanctorum passio-  
nes bona voluntate, & velle, & nolle  
possumus, velle quidem quatenus cedunt  
in ipsorum gloriam, nolle vero compas-  
sione pietatis, qua compassione moti fide-  
les nolebant Apostolum Paulum in Hie-  
rusalem pergere, ne ibi pateretur mala,  
que ei Agabus Propheta predixerat.  
Actuum 21.

QVÆSTIO  
VNICA.

Vtrum teneamur conformare vo-  
luntatem nostram diuinæ  
voluntati?



Ost exactam disputatio-  
nē de obiecto voluntatis  
diuinę, restat quarto & vl-  
timo loco expēdenda ha-  
bitudo nostrę voluntatis  
ad diuinā voluntatē, quę  
in conformitate quadā consistit humanę vo-  
luntatis ad diuinam. Quocirca ad rem pro-  
positam explicandā vnicā excitamus quę-  
stionē, cuius explicatione continebitur quid  
quid ad rei propositę expositionē pertinet.

Huius igitur quęstionis explicationi nō-  
nullas præponimus distinctiones.

Prima distinctio est de conformitate. Nā-  
que conformitas humanę voluntatis ad di-  
uinā est duplex. Vna in essendo, altera secū-  
dum tendentiā in obiectū. Cōformitas in es-  
sendo consistit in participatione eiusdē natu-  
rę, vel similitudinis naturę. Cōformitas ve-  
ro secundū tendentiā in obiectū, attenditur  
penes aliquid vnū, quod se habet ad vtrāque  
voluntatē, aut cōsimiliter, vt cū duo volunt

vnū, & idē, aut dissimiliter, correspondēter ta-  
men vt cū aliquis vult aliquid, alius vero nō  
vult illud, vult tamē illū velle illud, sic Abra-  
hamus voluit occisionē filij quā eandē Deus  
non voluit, voluit tamē Abrahamum illam  
velle.

Secūda distinctio est de voluntate Dei,  
Nāq; ea aut est volūtas beneplaciti, aut vo-  
luntas signi, quę ipsa quincuplex est, vt iam  
diximus.

Tertia distinctio est de voluntate homi-  
nis. Nā volūtas hominis est duplex, vna sen-  
sitiua, altera rationalis, illa sequitur cognitio-  
nē sensitiuam, hęc intellectiuā. Hęc subin-  
de duplex est vna naturalis, altera delibera-  
ta. Volūtas naturalis illa dicitur, qua secun-  
dum se, & absolute bonū cōueniens naturę  
appetimus & discōueniēs aspernamur, & res-  
puimus. Delibrata vero est illa, quę fertur  
in bonum expensis circumstantijs, & hęc vo-  
luntas interdum aduersatur in voluto appe-  
titui sensitiuo, & voluntati naturali: veluti  
sectionem membri pro recuperanda sani-  
tate voluntas deliberata eligit, appetitus  
vero sensitiuus, & voluntas naturalis res-  
puunt, & refugiunt.

Quarta distinctio est de voluto. Volitum  
enim a Deo accipitur duobus modis, vno mo-  
do materialiter, altero modo formaliter,  
Volitum materialiter, est illud obiectum  
quod Deus vult. Volitum vero formaliter  
est illud idem volitum sub ea ratione, & fi-  
ne, sub quo est a Deo volitum.

His quatuor distinctionibus præmissis,  
quęstio explicatur nonnullis cōclusionibus.

Prima conclusio. Qualibet voluntas  
creata conformatur diuinę voluntati in es-  
sendo, non quidem participatione eius-  
dem naturę & speciei, sed participatio-  
ne similitudinis naturę diuinę. Fecit enim  
Deus hominem ad imaginem & similitu-  
dinem suam, Genes. 1. Caterum de hac  
conformitate, non est sermo in præsentī  
quęstione, sed de conformitate secundum  
tendentiam in obiectum. Quocirca de hac  
conformitate iam secunda subiungitur cō-  
clusio.

Secunda

2. Distin-  
ctio.

2. Distin-  
ctio.

3. Distin-

4. Dist.

1. Concl.



2. concl. Secunda conclusio. Voluntate signi ei quæ præcepto, & prohibitione continetur, tenetur quilibet homo conformari, faciēdo quod Deus præcipit & fugiēdo, atque auerſando quod prohibet. Nam quilibet tenetur obseruare diuina præcepta, siue affirmatiua, siue negatiua.

3. concl. Tertia conclusio. Non tenetur homo conformare suam voluntatem voluntati signi, quæ consilio declaratur. Alias impletio consiliorum, non esset opus supererogationis, sed opus præcepti, & non implens consilia peccaret, contra quod docet Apostolus 1. Corinth. cap. 7.

4. concl. Quarta conclusio. Quod attinet ad voluntatem signi quæ dicitur permissio, aut permissio habet per obiecto malum culpæ, aut malum pœnæ. Est ergo quarta conclusio. Voluntati Dei permissiuæ mali culpæ nullus tenetur voluntatem suam in voluto conformare, bene tamen voluntati Dei permissiuæ mali pœnæ, idque in voluto formali, non materiali, & voluntate deliberata, non sensitua, aut naturali.

Huius conclusionis pars prior sic ostenditur, nemo tenetur velle se Deum offendisse, aut diuinam gratiam amisisse, atqui Deus multos vult permittere se offendere, & suam gratiam amittere, ergo huic voluntati Dei permissiuæ nemo tenetur in voluto conformari. Posterior pars conclusionis patebit ex subiunctis conclusionibus.

5. Concl. Quinta conclusio. Quilibet tenetur suam voluntatem voluntati Dei Beneplaciti conformare in voluto, id est velle id quod vult Deus. Probatio.

Quilibet tenetur habere rectitudinem voluntatis, atqui omnis rectitudo humanæ voluntatis prouenit ex conformitate ad diuinam voluntatem, quæ naturaliter est recta, & non potens deficere, aut aberrare, Quilibet igitur tenetur suam voluntatem diuinæ in voluto conformare. Minor probatur auctoritate & ratione. Auctoritas est Augustini in expositione illius versus psalmi 100. Non adhæsit mihi cor prauum sic decentis. Cor prauum est cor non rectum,

Rectum autem cor hominis dicitur, quod vult omnia, quæ vult Deus, igitur rectitudo humanæ voluntatis consistit in conformitate sui ad diuinam voluntatem. Porro ratione illud ipsum sic ostenditur.

Quando aliquid est regulabile per aliquam regulam, eamque suapte natura rectam, neque potentem deficere, vniuersa eius rectitudo consistit in conformitate ad illam regulam, atqui humana voluntas est regulabilis per diuinam suapte natura rectam, neque potentem deficere, igitur vniuersa eius rectitudo consistit in conformitate ad diuinam voluntatem.

Contra istam conclusionem arguitur. Non omnis voluntas conformis voluntati beneplaciti Dei in voluto est recta, neque omnis eidem disformis est mala, non tenetur igitur homo conformare suam voluntatem voluntati beneplaciti ipsius dei in voluto. Antecedens pro priori parte cernitur in iudæis, qui voluerunt Christi mortem, quam eandem Deus voluit voluntate beneplaciti, & tamen eorum hæc voluntas impia, & mala fuit. Pro posteriori vero parte patet ex Augustino in Enchiridione, cap. 11. quo loco ait, aliquando hominem bona voluntate velle, quod Deus non vult, ceu bonus filius pia voluntate vult patrem viuere, quem bona voluntate Deus vult mori.

Præterea, si conclusio esset vera sequeretur, quod si Deus reuelaret alicui suam damnationem, quod teneretur eam velle, & ita teneretur velle non esse beatus, consequens est falsum, tum quia talis voluntas repugnat appetitui naturali, quo quilibet appetit beatitudinem, tum quia quilibet licite potest orare pro salutē finali, & per consequens licite potest velle saluari.

Quocirca iam sexta subiicitur conclusio quintæ conclusionis explicatiua.

6. Concl. Homo tenetur conformare suam voluntatem diuinæ voluntati in voluto formali, non materiali, vt scilicet velit illud idem quod Deus vult sub ea ratione, & eo fine, quod Deus vult.



DIS T. 8. DE CONFORMITATE VOLUNTAS HUMANAE.

Rectitudo humanae voluntatis, in quo consistit.

Non enim rectitudo voluntatis in eo simpliciter consistit ut homo velit id quod Deus vult, sed ut velit sub ea ratione qua illud ipsum Deus vult. Et quia Iudaei Christi mortem non sub ea ratione, & sub eo fine voluerunt, qua Deus ipsam voluit, idcirco volendo Christi mortem peccauerunt, & eorum voluntas impia, & prava fuit.

Septima conclusio. Homo tenetur voluntate deliberata velle id quod Deus vult, non iudem naturali, & sensitiva quae absolute fertur in omne illud quod est sibi conueniens, & respuit omne illud quod est sibi disconueniens. Vnde volendo huiusmodi voluntate contrarium eius quod Deus vult non peccat. Hac igitur voluntate pius filius vult patrem vivere, quem Deus voluntate beneplaciti vult mori, & sic volendo non peccat.

Conclusio quinta quomodo iudicatur.

Est ergo quinta conclusio intelligenda de voluntate hominis deliberata, quae scilicet fertur in bonum expensis circumstantijs, & de voluto diuino, non quidem materialiter sumpto, sed formaliter.

Verum homo reuelat sibi suam damnationem teneatur velle.

Quod vero attinet ad tertium argumentum contra eandem quintam conclusionem, ad illud argumentum primum respondetur hypothese non esse possibilem, nempe quod huiusmodi reuelatio fiat absolute, sed omnis huiusmodi reuelatio est conditionalis, & comminatoria: cuiusmodi est illa Lucae decimotertio. Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Sed esto facta sit absolute talis reuelatio, non quid tenetur homo voluntatem suam diuinae voluntati conformare? Durandus, 1. 5. distinct. 28. quaest. 2 ad tertium, respondet neganter, siquidem quinta conclusio intelligenda sit, & vera sit adiuncta duplici conditione, prior conditio est, ut homini congruat illud velle. Posterior conditio est, ut constet Deum velle hominem illud velle.

Durandus

Est ergo quinta conclusio. Quilibet homo tenetur voluntatem suam conformare

diuinae voluntati in voluto, quod congruit homini velle, quodque scit Deum velle, quod ipse velit, iam autem neque congruit homine velle suam damnationem, neque Deus vult, quod ipse velit damnari, utpote quia oppositum praeeperit, nempe quod velit saluari, & oppositum naturae inserit, nempe quod velit esse beatus. Vnde Augustinus. 13. de Trinitate. capite 3. & 4. ait. Quilibet necessario vult beatus esse, & non vult miser esse.

Caterum Gregorius, 1. 5. distinct. 48. quaest. vnica, affirmanter respondet, nempe quod homo huiusmodi cui facta esset suae damnationis absoluta reuelatio, teneretur in tali euentu suam voluntatem diuinam in voluto conformare, quandoquidem ita visum, & placitum esset Deo, quae actio tantum abest ut esset culpabilis, ut esset maxime laudabilis, utpote quia ex maxima Dei dilectione proficisceretur. Ex quo subinde colligit, non licere huic pro finali salute ad Deum preces adhibere, sed debere diuino iudicio esse contentum. Suffragari ait huic sententiae illud dictum Augustini 21. de Civitate Dei, cap. 24. Quo loco ait, quod si Ecclesiae constaret aliquos etiam in hac vita constitutos, praedestinos esse in ignem aeternum ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam pro ipso diabolo.

Egidius. 1. 5. distinct. 48. ar. 2. quaest. 2. ad tertium, respondet debere hunc hominem in studium bonorum operum incumbere, ut Deus bonis illis operibus motus, de sententia dimouentur. Ego, data hypothese, cum Egidio, & Gregorio sentia. Quae eadem opinio est Diuini Thomae, 12. quaest. 19. ar. 10. ad secundum. Et de ver. quaest. 23. ar. 8. ad secundum, quem sequitur Capreolus 4. 5. distinct. 17. quaest. 1.

Neque tamen hinc consequitur. Ut homo velit culpam, aut finalem impoenitentiam, ad quam sequitur damnatio, sed quod velit ordinem diuinae iustitiae, & eiusdem reluctiam sub qua ratione Deus vult hominis damnationem.

Ostiaua

Gregorius

Augustinus

Egidius

D. Thomae



8. concl.

velle id  
quod deus  
vult, ex  
charitate  
non requi-  
ritur ne-  
cessario.

Octava conclusio. Homo non tenetur secundum rationem cause formalis, quae est charitas, suam voluntatem diuinæ voluntati conformare, vt scilicet velit ex charitate id quod vult Deus. Hoc siquidem solum requiritur quando obligat preceptum charitatis. Requiritur etiam huiusmodi conformitas ad meritum vitæ æternæ. Nam vt homo mereatur vitam æternam requiritur, vt operetur ex charitate, vt patet. 1. Cor. cap. 13.

In aduer-  
sis non ne-  
cessario re-  
quiritur,  
vt homo  
actu posi-  
tuo velu-  
tatis diui-  
nae volun-  
tati confor-  
metur,  
sed suffi-  
cit non re-  
pugnare  
diuinæ or-  
dinationi,  
& de eam  
contristari

Ex doctrina tradita in quinta, sexta, & septima conclusione iam patet quartæ conclusionis quoad posteriorem eius partem intelligentia. Circa quam partem illud est etiam annotandum, non esse necessarium necessitate precepti, vt in aduersis homo diuinæ voluntati conformetur actu positivo voluntatis deliberatæ, sed sufficere vt non repugnet diuinæ ordinationi, & non tristetur. Nam actu positivo voluntatis in talibus diuinæ voluntati conformari, & gaudere perfectorum est, aut certe comprehensorum, quibus cum innotescant ad plenum diuina volita, cumque in eis appetitus rationalis nulla ex parte retardetur, plene, & lætanter diuinis volitis conformantur. Contra quod accidit viatoribus, tum quia diuina volita non sunt eis plene cognita, tum quia motus voluntatis in eis persensum, atque adeo appetitum animale retardatur. Quocirca in aduersis sufficit

non contristari, & diuinæ ordinationi non repugnare, & hoc est in moribus laudabile. Vnde Aristot. 3. Ethicorum, capite. 10. ait, non oportere, neque illud a viro forti requiri, vt oblati periculis gaudeat, sed ad laudem sufficere, quod tristitia minime afficiatur.

AC de sacrosancta Trinitate, deque diuinis attributis hæc disputasse sufficiat, quæ omnia ad laudem referantur omnipotentis Dei Patris, Filij, & Spiritus Sancti, qui est Deus gloriosus, & benedictus in secula.  
Amen.



FINIS COM-

MENTARIORVM IN

primum Sententiarum  
librum.

(. . .)




L A V S D E O.


















F. F. ACHRI

ENAR. IN. I.

SENT.

Sala

R

Gab.

Est.

Tab.

21

N.º

8